

## SACRA ROMANA ROTA

MEDIOLANEN: Nullitatis Matrimonii ob amentiam uxoris

(Coram IOSEPH MARIA SERRANO)

### I.—FACTI SPECIES

1) A., cum vigesimum quartum aetatis suae annum ageret, uxorem duxit R., decem et novem annos natam, Mediolani, die 23 maii a. 1959, apud ecclesiam v.d. "Santa Maria Beltrade".

Primus partium occursum, quin et praenuptialis consuetudo initium sumpsit a notitia quadam, cura conventae matris in loci ephemeride inserta, ut filia sponsum et maritum inveniret.

Post parum temporis a nuptiis initis, R. certiore A. fecit de iis, quae mulieri domi evenerant, quomodo intra psychiatricum nosocomium detrusa fuerit nec semel, et penes familiae septa propter suam indolen aegre ferretur. Vix primo atque unigenito filio concepto, uxor indubia iterum dedit signa characteris abnormitatum, quae post partum eo tandem ierunt ut denuo in clinica pro mente captis saltuarie concluderetur et, aliquando ad experimentum in libertate relicta, mira quoque patraret.

2) Post saltem apparentes haesitationes et etiam doctorum monita, vir, qui supplici libello Mediolanense Tribunal adierat anno 1962 usque ad finem causam protraxit, et, auditis testibus, collatis documentis et in iudicium vocatis tum medicis, qui curam conventae perfererant, tum etiam perito ex officio, sententia primi gradus, diei 30 maii 1967, actoris placitis adversa fuit, edicens non constare de nullitate matrimonii, in casu, nec ex mulieris amentia nec propter metum eidem incussum aut vim illatam.

3) Actore a S. Tribunali Signaturae Apostolicae instante ut legitimum appellationis iudicium apud H. N. T. ageretur, —quod et concessum fuit— aucta processus instructione unius tantum novi periti ex officio inducti, prodiit decisio secundi gradus edicens constare de nullitate matrimonii propter conventae amentiam. Ex officio appellavit Vinculi Defensor N. F. ad Turnum sequentem; ideoque Nostri est definitivam praebere responsionem dubio sub legitima forma in huiusmodi casibus concordato:

'An sententia Rotalis diei 10 iunii 1970 confirmanda vel infirmanda sit, in casu'.

## II.—IN IURE

4) Cum agatur de themate quam saepissime a N. Iurisprudencia tractato, duo tantum explicite adnotata voluerunt Patres, quibus clarius pateret quomodo principia iuris factis comprobatis in casu aptarentur: circa aestimationem nempe defectus voluntatis liberae in subiecto, quod etsi mente deficiens, non certo tamen in abstracto incapax diceretur matrimonii; et de diversis rationibus, quas prae oculis habere licet ut aequa lance votum peritorum perpendatur.

5) Relate ad primum quondam multi habitum est factum imbecillitatis intellectus uti norma princeps, imo fere exclusiva, ad iudicium ferendum super capacitate nubendi. Dein cum in dies scientia psychiatrica evolveretur, et in vigorem humani arbitrii accuratius inquisitum est.

Sed cum de cuiusdam intellectus acie disputatur, quamvis semper difficilis evadat opinio, inquirens saepe indiciis utitur quae clariora sunt, uti verba sensu carentia vel argumentandi ratio a legibus discursus omnino aberrans; dum autem de libero arbitrio quaestio venit, difficultas augetur ex eo ipso quod, libertate non necessario logicam sequente, Iudex intueri cogitur in modum agendi ex sese aequivocum, qui solus nullum peremptorium iuvamen offert.

Et tamen, si semper eminens locum libertati in consensu coniugali efficiendo ab omnibus attributum est, magis adhuc hodie, ut ita loqui liceat, ad libertatem nubentium Nos convertere debemus, siquidem duce S. Concilio Vaticano II, ratum habuimus et pleniori luce illustratum amorem coniugalem "Dominus, specialis gratiae et caritatis dono, sanare, perficere et elevare dignatus est. Talis amor, humana simul et divina consocians, coniuges ad liberum et mutuum sui ipsius donum... conducit" (cfr. Const. Past. *Gaudium et Spes*, n. 49): quod etsi ibi dictum sit de matrimonio, ut aiunt, in facto esse, a fortiori tenendum est circa esse primum matrimonii, ex quo fonte gratia sacramenti et personalis humanus amor profluit.

6) Iam age aliquando planum esse potest quemquam non completa sive intellectus discretionem, sive voluntatis determinationem ad nuptias accessisse, cum extra dubium positum eundem deficienti psychica capacitate laborare; perdifficile vero stabilire usquequo indubia subiecti imbecillitas, prae oculis etiam habitis quae a peritis asseruntur, consensus validitatem infitietur.

Quod ad intellectum attinet forte uti norma inserviret can. 1082, ita ut qui impos fuerit discernendi matrimonium uti societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos iam eo ipso certe dicendus esset matrimonio inhabilis, si non praecise ex ignorantia ipsi non imputabili, utique ex defectu discretionis.

Simili modo, ni fallimur, relate ad voluntatis determinationem respectum habere licet ad can. 1087, ubi statuitur vim (vel metum) gravem ab extrinseco et iniuste illatam matrimonium irritare.

7) Iure quis diceret hoc in casu non agi de vi ab extrinseco quoniam infirmitas liberi arbitrii personalis, ex qua tandem defectus sese determinandi exsurgeret, penes ipsammet personam intus sit, nec aliunde ipsi adveniat. Sed difficultas cadit ubicumque quis animadvertat non praecise de vi, extrinseca, utique de consensu invincibiliter coacto agi. Aliis verbis: can. 1087 tradit Ecclesiam libertatem sponsorum adeo tutare ut matrimonium habeat nullum, ad quod quis trahitur sub impulsu causae gravis, quae illegitime ad unum determinat; etiam in casu imbecillitatis voluntatis, si propter adiuncta ad unum ita fortiter determinatae, ut quis etsi alterum habeat cognitum impar ad hocce eligendum dici debeat, iam in tale matrimonium consentiendi incapax subiectum haberetur.

8) Diximus etiam '*propter adiuncta*'. Capacitas enim consentiendi minime est abstracte concipienda, quasi acies a priori determinata intellectus —v. gr., quod dicitur "coefficiente intellettuale"— vel vigor item praestabilitus voluntatis necesse sit demonstrari adfuisse vel abfuisse ad consensum validum evincendum aut irritum.

Consentiens est subiectum quoddam circa quoddam obiectum, ideoque eiusdem capacitas, sicut potentia in actu, in concretis adiunctis discerni licet.

Exinde iam patet quanti facienda sit existentia circumstantiarum, quae in matrimonium illius, qui infirma mente vel voluntate laborat, influxum exercuerint; nec multum refert immorari in distinctione utrum in casu determinato de vi *relative gravi* vel de *incapacitate se libere determinandi* agatur: quod impossibile etiam discrimen non raro erit. Nam dum constet de consensu graviter et iniuste coacto, iam pro nullitate standum est: si ab extrinseco praevalenter, propter vim; si vero ex intrinseca deficientia propter incapacitatem.

Haec autem prae oculis accurate Iudex habebit, si quidem his in casibus frequens est interventum familiae vel medicorum, qui affectu praediti vel molestias vitare intenti matrimonium maiore vel minore coactione suadent.

9) Quae praecedunt non omnino aliena a Nostra Iurisprudencia dicenda sunt, sicuti deducitur ex lectione eorum, quae apud recentiores decisiones habentur. Satis sit duae in exemplum adducere: Dicitur in una coram LeFebvre, diei 13 iunii 1970, Spoletana, Prot. n. 5721: "*...Proinde ratione habita deductionum periti, Patres censuerunt nec praetermittenda esse... adiuncta de metu incusso*" (n. 16); et in ipsamet sententia appellata coram BEJAN: "*Ex actis enim, in sua summa examinatis, admittendum est conventam, si matrimonium selegit... id cum conscientia psychologica praestitisse. At hic finis operantis, etsi conscienter intentus, liber non fuit ob gravem perturbationem voluntatis... quatenus probat eam impotentem fuisse, ob suam psychicam abnormitatem, efficaciter obsistere matrimonium imponenti, et ideo incapacem fuisse liberae determinationis*" (n. 16).

10) Alterum erat quaedam afferre circa interpretationem relationum peritorum. De quibus haec summatim notantur:

a) Ipsi periti cum vota sua conficiunt iuxta scientiae principia, expertes non sunt propria cuiusque sua matrimonii conceptione, iuxta quam asserere possunt personam concretam incapacem esse matrimonii ex eo quod revera tale subiectum impar habeatur ad illud matrimonium assequendum, quod certe penes quemlibet optandum.

b) Matrimonium est quidem res sublimis et excelsior, humana dignitate et sacramentali sanctitate eminens, uti iterum extollit Const. *Gaudium et Spes* Conc. Vaticani II, nuper citata (nn. 47-52); at insimul idem habetur institutum naturale, ad quod omnes vocantur, etiam rudiores et simpliciores quique, dum aliunde capaces sint illud actu vere humano amplectendi.

11) c) Medici aliquando personam sibi examinandam suscipiunt pro qua matrimonium non erat suadendum cum in pluribus etiam congenite deficiat, ex quibus facile fuerat praevideri illam non aptam fore ad gravissima sive mariti sive uxoris munera obeunda. Dolendum est tale consilium non ante matrimonium quaesitum vel obsecundatum fuisse; at quaestio de validitate omnino distincta est cum circa radicalem capacitatem, non convenientiam instituat. Etsi medici, laudabili matrimonii conceptu ducti, nimis facile quemdam dicant matrimonii, utique desiderabilis, incapacem, non eo ipso iam consentiendi inhabilem eum habere tenemur.

d) Alias e contra iidem doctores personam mente infirmam vel affectu labilem ex pathologica congenita causa habent ad matrimonium idoneam eo quod eam inveniant indigentem intimioris affectus et curae constantis, quibuscum et sperant futurum esse ut infirmus intra meliorem et humaniorem socialem frugem (v. *ricuperazione*) sese recipere queat. Etiam sub hoc respectu aliquando equivocari posset, cum matrimonium sit res facti, sua essentia sibi constans, extra quam, etsi affectus et vel communio vitae valde suaderetur propter therapeuticas rationes, illa tamen inter consentiendi incapaces nomine matrimonii insigniri nefas esset.

12) Quae cum ita sint, praecipuum tenent RR. DD. Iudices esse in casu imaginem restituere illius, qui dicitur vel amens vel demens, iudicio immaturus, aut sui determinatione expers, prout proditur ex attestationibus medicorum, sed etiam ex testibus et caeteris causae adiunctis; ut dein quaestioni respondeatur an personae, quae et talis demonstratur, interdicendum fuisset matrimonium cum initum est, et ideo nunc a matrimonii specie sit dimittenda, quia revera tunc in matrimonium libere consentire non potuisset.

### III.—IN FACTO

13) Quaenam conventa tempore nuptiarum fuerit sat abunde describitur tum a peritis, qui numero quinque in ius vocati sunt, sive ex his, qui conventae fuerant a curationibus, sive duo ex officio; tum a testibus, intime mulieri familiae vinculis coniunctis.

14) Doct. Baldassarri completam praenuptialem conventae imaginem tradit incipiens vel ab imis eiusdem personalitatis fundamentis: "In base al giudizio che ho potuto appurare attraverso la mia lunga osservazione, penso piuttosto trattasi di un soggetto distimico con abnormità comportamentali, in una personalità notevolmente immatura... E'da rilevare però che nella R. è esistito sempre un problema affettivo e che questo desiderio si dice addirittura sete di affetto, avrei (avrebbe?) potuto trattenerla a riflettere sufficientemente su quelli che potevano essere i problemi sociali" (fol. 20).

Nec differt Doct. Bianchi, qui ait: "...La malattia della R. si può definire 'di personalità psicopatica con stati dissociatici periodici' nei quali viene ricoverata... I disturbi in parte possono essere giustificati dalla carenza affettiva familiare e da un complesso di inferiorità da esiti di una paralisi infantile, elementi che hanno determinato in lei una personalità molto fragile" (fol. 21).

Doct. autem Spiazzi: "Dal punto di vista psichiatrico i disturbi che riscontrai nella R. sono da inquadrarsi nel capitolo delle anomalie della personalità patologica ciclotimica con aspetti isterici... Secondo me le anomalie della personalità che la Signora manifestava al momento in cui la presi in cura, avevano una loro origine sia in una disposizione costituzionale, sia in una precaria situazione ambientale, soprattutto per quanto riguarda i rapporti interpersonali nell'ambito del nucleo familiare" (fol. 23).

In eadem procedunt via, etiamsi diagnosim emittant diversam periti ex officio tum in prima instantia, Doct. Gabrici (fol. 48-49) tum apud H.A.T., Doct. Vacchini (fol. 12 1/in supp. inquisitione).

15) Quae a doctoribus ita praebentur de prima conventae psychica constitutione, in peius vertuntur labentibus annis:

R. comprobatur in nosocomium pro mentis languoribus intrusa ter ab anno 16 aetatis suae usque ad nuptias et mira quaeque in anamnesi eiusdem de modo agendi refereuntur (cf. fol. 62-63).

Sic autem illius vita a matre simplicibus verbis traditur: "Mia figlia in seguito a malattia fatta da piccola, aveva un difetto ad una gamba perchè un piede era un pò curvo. All'età di 14 anni fu operata, ed essendo stato leso un nervo, ne ebbe come conseguenza facilità di nervosismi; mentre prima era molto calma. Pensando io che avesse bisogno di cura per meglio stabilirsi in salute, la feci ricoverare a "Villa Nuccia", clinica dove si curano gli affetti di esaurimenti nervoso. Non so a quali cure la sottoposero i medici; dopo qualche mese fu dimessa come guarita. Ciò nonostante mia figlia ha voluto continuare la cura presso un medico di Milano..." (fol. 29, Q. 12). Cfr. etiam ipsius conventae sororem, fol. 31, ad Q. 12.

16) Magis adhuc nostra interest modus quo ad nuptias perventum est sicuti et partes, quas familia et mater praesertim in cito parando coniugio habuere. Quod ab eadem conventa ita traditur: "I miei genitori a 19 anni volevano che mi accassassi e perciò fecero una inserzione sul 'Corriere della Sera'. Io avrei voluto rimanere in famiglia poichè non mi sentivo ne ancora

mi sento matura abbastanza per essere mamma e moglie... Dei molti che capitarono a casa per l'inserzione, il A. fu l'unico che accettò di sposarmi subito, mentre io avrei maggiormente gradito un certo... ci fidanzammo in gennaio del 1959 e ci sposammo il 23 maggio dello stesso anno... 9) I miei genitori posero questa alternativa: o ti fai suora o ti sposi o torni a Mombello" (fol. 12).

Quam conventae depositionem, etiamsi non usque ad expressam alternativam, satis tamen innuunt parentes: "Io e mia moglie retinevamo che il matrimonio avrebbe potuto giovare al suo carattere" (sic pater, fol. 25, ad Q. 8). Et mater: "anche i suoi genitori come noi erano contenti" (fol. 29, ad Q. 10). "...contenti anche i genitori di entrambi" (fol. 31, ad Q. 10: ita soror conventae).

17) At quod maius est: talem familiae matrisque influxum doctores habuerunt ita determinantem ut omnino necessarium ducerent ad matrimonium ineundum: "Al momento delle nozze era nelle condizioni di dare il suo valido consenso, ma queste sono state nettamente forzate dall'attività coercitiva dei genitori" (Doct. Gabrici, ex officio, pag. 49) et clarius adhuc in orali explicatione: "A mio giudizio, la madre della R. ha avuto un influsso determinante nel matrimonio della figlia... Se non ci fosse stata l'imposizione della mamma, la R. non avrebbe acconsentito al matrimonio" (fol. 32, Q. 5).

Ita etiam Doct. Vacchini, cuius relatio peritalis in H.A.T., ex officio, est requisita: "Sono essenziali a tale titolo le dichiarazioni della p. stessa che in quell'epoca non si sentiva punto sollecitata alle nozze ma vi accedeva esclusivamente in forza della costrizione che su di essa veniva esercitata dai suoi congiunti. Sul valore di tale costrizione conviene indugiare alquanto perchè qui, atteso l'aut-aut che era stato avanzato dai familiari della p., i quali confrontavano alle nozze il ricovero in manicomio, dobbiamo convenire di essere in presenza di una coercizione piuttosto gravosa e senza dubbio drammatica per una persona che come il soggetto aveva già sperimentato il peso della restrizione in più di un Ospedale Psichiatrico" (fol. 9-10, suppl. insuis.).

18) Ut in summam probationis medullam redigamus, haec ex actis constare dicendum est:

Conventam a crisi saltem puberali personalitate deficienti valde demonstrari, in qua animadvertuntur tam instabilitas magna affectiva quam abnormalitates districtuales in modo agendi;

Talis deficiens personalitas per saltus seu cyclos processit adeo ut tam ante nuptias quam post nuptias periodos morbi conclamati prodiret; quibus durantibus, aegrotans conventa in nosocomium detrusa est;

Etiamsi non incunctanter constet nuptias evenisse in periodo infirmitatis demissa: certum tamen est in mulierem exigui et languore psychopathico affecti arbitrii tot ac tanta adiuncta influxum exercuisse, ut copiam personalis determinationis in casu abfuisse concludendum sit;

Quam conclusionem, non veluti a priori tantum ex natura infirmitatis mentalis deduximus, verum etiam ex depositionibus quoque vel ipsiusmet conventae vel testium, qui res prope inspexerant.

19) Adversus statutam thesim quaedam nec parvi momenti moveri possunt difficultates.

Prima desumitur ex diversa opinandi ratione penes medicos peritos. Comparisonem inter relationes sub respectu critico accurate instauravit appellata sententia et nihil est cur de re amplius disseratur. Duo tantum voluerunt Patres notata, scilicet: cum subsidium peritorum requiritur a Iudice non tantum in quaestionem venit definire scientificam naturam multoque minus praecisum nomen alicuius morbi mentalis, cum potius eiusdem morbi consequentias in subiecto concreto determinare; iam vero de personalitate psychica fortiter perturbata conventae in nuptiarum tempore, etsi ex morbo diverso termino significato et interpretatione, omnes doctores uno ore concordant.

20) Alterum est influxus, qui in peritos exercere potuit factum indubiae 'affectus indigentiae', quam pathologice R. conventa experiebatur et cuius remedium aliquo modo saltem in matrimonio ineundo primo, hodie in coniugali consuetudine protracta, doctores, qui asserunt conventae capacitatem ad nubendum, constanter praedicant. Haec therapeutica finalitas matrimonii —a doctore iam ante nuptias decise pronuntiata et a reliquis peritis absque haesitatione stabilita— haud parum medicorum dictamen ingressa est, sicuti nunc aperte refert novissimum periti votum in H. N. A. T.: "...la discussione clinica del caso si impone come un compito piuttosto laborioso e non tanto sotto il profilo dell'inquadramento diagnostico, quanto in ragione della necessità che questo caso presenta di discutere le diverse diagnosi con le quali è stato di volta in volta inquadrato. Tale questione non può essere considerata come irrilevante perchè è proprio da tali diagnosi che sono discesi *provvedimenti terapeutici*, giudizi prognostici ed ancora consigli relativi ad un *inserimento sociale* del soggetto. D'altro canto questi provvedimenti di trattamento, questi consigli d'ordine integrativo sociale... sono venuti ad urtare con la situazione psicopatologica irreversibile di fatti del soggetto..." (fol. 7, supp. instr.).

Iam age quidquid sit de therapeutica convenientia alicuius affectuosae et constantis vitae communionis, nihil inde sequitur circa capacitatem vel inhabilitatem subiecti ad grave matrimonii negotium.

21) Etiam quis dicere posset plures adfuisse rationes propter quas mulier tempore, quo causa inducta est, ideoque post nuptias, amentiam auctam videret, quaeque pro capacitate praenuptiali concludere possint.

Difficultas, quae in persona nullam morbi manifestationem conclamata ante matrimonium passa, certe indubii ponderis agnoscenda esset, penes conventam, quae ter praenuptiali tempore in psychiatricum nosocomium ingressa est, magna ex parte robore destituitur. Praeterea minime est obli-

viscendum in casu non clare apparere an molestiae post nuptias in coniugali consuetudine causae fuerint vel effectus morbi conventae; cum autem illam ante coniugium graviter aegrotasse pacificum sit, praesumere tenemur tales molestias praecise propter morbum praesentem adfuisse nec e contra: quamvis certe eadem vicissim morbum aggravarent. Quod et confirmatur ex eo quod maritus primo saltem tempore magna cura cum ipsa egit, sicuti clare refertur occasione precocis conventae praegnationis.

22) Tandem verbum dicendum venit de causa sub respectu metus vel incapacitate agitata; quasi propterea quod interventum matris et conventae familiae decisivum dixerimus in matrimonio ineundo, iam inde sub capite tantum metus seu vis nullitas accusari posset, non vero ob psychicam incapacitatem.

Vix est cur, post disceptata in parte "in iure", magni talem difficultatem faciamus. Revera Nostri non est determinare an conventa capax fuerit matrimonii in genere vel in aliis circumstantiis initi. Psychologi monere nequaquam fungimur nec vocamur ad indicem intellectualem vel volitivum conventae dimetiendum, sed ad eiusdem capacitatem circa unum ac concretum matrimonium exercitam dignoscendam. Sub hoc respectu morali ducimur certitudine ad asserendam incapacitatem R. conventae, sese libere determinandi coram coniugio de facto in singularibus adiunctis sibi oblato.

Iam itaque de metu discutere ratione vacat.

23) Antequam ad partem dispositivam devenirent opportunum Patribus visum est, sollicitudine etiam qua moventur charitatis christianae, in mentem actoris revocare onus, quod ipsi incumbit providendi mulieri, quacum vitae communionem diu iunctus est quaeque mater exstat eiusdem filii. Sicut laudabiliter in praeteritum, sic et in futurum evenire exoptamus, prae oculis quoque habita miserabili conventae actuali conditione.

24) Omnibus igitur in iure et in facto accurate perpensis, Nos, infra-scripti Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum considerantes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, ad propositum dubium respondentes:

**AFFIRMATIVE** ad primam partem et **NEGATIVE** ad alteram, seu Sententiam Rotalem diei 10 iunii 1970 confirmandam esse in casu, ideoque constare de nullitate matrimonii; vetito mulieri transitu ad alias nuptias, inconsulto H. A. T.

Romae, in sede Tribunalis S. R. Rotae, die 7 iunii 1971.